

lus ossa quibus alligatus est, sive articulos mobiles adducat, & his mediantibus omnes corporis membrorumque motiones exerceat. Idem verò uti Laudatissimo *Borello* in Italia, & *D. Croone* in Angliæ placuit; ita eadem, quæ posteriorem, nos etiam urfit pridem objectio: nec esse manifestam adeò in musculo cavitatem, ut in vesica, neque notabilem adeò in musculo contracti ventre intumescantiam conspici. Verùm uti priori dubio facilè satisfiebat, dicendo, neque necessariam fuisse, neque utilem futuram, unicam ampliorem muscoli cavitatem, sed robur ejus inde tantò majus elucere, si fibras ipsius singulas concipiamus esse non totidem vesicas simplices, sed totidem series vesicularum plurimarum, in unam idemque pondus terminatas; quæ quidem serierum multitudo quantum valeat in magnis molibus adducendis, ex iis quæ supra num. IV. & VIII. diximus, abunde dispalescit; ita ex hoc eodem supposito pulchrè deducebat *D. Croone*, positâ eadem contractione sive abbreviatione muscoli alicujus & cujusdam vesicæ paris longitudinis, neutiquam sequi debere æqualem etiam in vesica & in musculo intumescantiam. Id verò ut demonstraret, geometrico quodam diagrammate utebatur, quod nos mutatis paucis num. 4. Fig. 37. exhibemus & nostris potiùs quàm *Croonii* verbis nunc explicabimus. Scilicet, si fibræ cujusdam muscularis longitudo *AD* foret contrahenda usque ad longitudinem multò breviorè *AC*, ita ut pondus *D* hac contractione interveniente ad *C* usque elevaretur, siquidem illa fibra esset una simplex vesica, deberet inflando dilatari à medio sui *E* usque ad *B*: verùm si supponatur eadem fibra constare quatuor vesiculis æqualibus, ad æqualem contractionem obtinendam non opus erit majore in singulis distensione sive dilatatione eâ, quæ mensuratur à linea *FG*, quæ est pars quarta prioris distensionis *EB*; dum interim idem sequitur contractionis effectus, siquidem omnimoda est æqualitas inter duo latera vesicæ majoris *AB* & *BC*, & inter octo latera quatuor vesicularum minorum, & inter